

omnia iam cernes divina mente notata. 10
 Nam primum astrorum volucris te consule motus
 concursusque gravis stellarum ardore micanti[s]
 tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
 lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,
 vidisti et claro tremulos ardore cometas, 15
 multaque misceri nocturna strage putasti,
 quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
 cum claram speciem concreto lumine luna
 abdidit et subito stellanti nocte perempta est.
 Quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli, 20
 quae magnum ad columnen flammato ardore volabat,
 praecipitis caeli partis obitusque petessens?
 Aut cum terribili percussus fulmine civis
 luce serenanti vitalia lumina liquit?
 Aut cum se gravido tremefecit corpore tellus? 25
 Iam vero variae nocturno tempore visae
 terribiles formae bellum motusque monebant
 multaque per terras vates oracla furenti
 pectore fundebant tristis minitancia casus,
 atque ea quae lapsu tandem cecidere vetusto, 30
 haec fore perpetuis signis clarisque frequentans
 ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
 Nunc ea Torquato quae quondam et consule Cotta
 Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex
 omnia fixa tuus glomerans determinat annus. 35
 Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
 ipse suos quondam tumulos ac templa petivit
 et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
 Tum species ex aere vetus venerataque Nattae
 concidit elapsaeque vetusto numine leges 40
 et divom simulacra peremit fulminis ardor.
 Hic silvestris erat Romani nominis altrix,
 Martia, quae parvos Mavortis semine natos
 uberibus gravidis vitali rore rigabat;
 quae tum cum pueris flammato fulminis ictu 45
 concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.